



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quid sit praeceptum officium eorum qui praesunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

tum & scientiæ quam in eis cernimus: Sic de magi-  
 stratu censendum est, quòd Deus illum per tales ad-  
 ministrat. Nā sapientia ac prudentia, dona Dei sunt,  
 non conascuntur nobis: ideo petijt Salomon in ini-  
 tizio regni sui sapientiam, 3. Regum 3. & Sapiens dicit:  
 Omnis sapientia à Deo est. Igitur ab illo petere de-  
 bent omnes rectores, & totam gloriam Deo patri cœ-  
 lesti referre, non sibiipsis, 1. Corinth. 9. Qui gloria-  
 tur, in Domino gloriatur. Tertius gradus honoris  
 consistit in condonandis erratis magistratui: magna  
 est enim infirmitas humani generis, & diabolus per-  
 petuò conatur perturbare harmoniam humanæ so-  
 cietatis & ordinem: ideo multa existunt incommo-  
 da & errata. Quare opus est subditis æquitate qua-  
 dam, ne temerè detrahant magistratibus etiam dysco-  
 lis suam auctoritatem, non sicut filius Noæ ebrium  
 patrem derisit, Gen. 9. Ambitiosa & carnalia ingenia  
 laudi sibi ducunt; dum cauillantur & repræhendunt  
 superiores eorumque leges. Ideò hæc vox, Honora  
 patrem, maximè coercere debet illorum petulantia.  
 In his tribus gradibus consistit præcipuè honor pa-  
 rentum & magistratus.

I I I,

Secundò, officium præcipuum est magistratus cu-  
 stodire legem vtriusque tabulæ, nam quòd ad exter-  
 nam disciplinam attinet, etiam primam tabulam ma-  
 gistratus tueri debet, iuxta illud 1. Timot. 1. lex est in-  
 iustis posita &c. Vbi Apostolus vult prohiberi lege &  
 disciplina atque puniri non solum flagitia, quæ cum  
 secunda tabula pugnant, sed etiam pugnantia cū pri-  
 ma. Itaq; si magistratus quærat, quæ sint sua officia,  
 in decalogum velut in speculum tueatur, & memine-  
 rit totius legis defensionem ad se pertinere, curare  
 ut rectè doceatur populus de religione, deindè prohi-  
 bere & punire idololatriam, blasphemias, homicidia,  
 latrocinia, furta, adulteria, defendere rerum Domi-  
 nia, non rapere facultates subditorum, recta exercere  
 iudicia,

2.



iudicia, ferre leges necessarias ad regendos mores populi, & ad retinendam pacem. Hoc modo contem-  
bitur magistratus in Decalogo omnes partes sui officij. Et in hunc finē, vt magistratus sit verus custos legis Dei & vtriusq; tabulæ, Apostolus iubet orare principes regibus & omnibus qui in sublimitate cōstituti sunt vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & sanctitate. Officium magistratus est, vt pacem efficiat ac tueatur, sed finis pacis non debet esse secundum Apostolum, vt securi & quieti fruamur voluptatibus, sed vt honestè & piè viuamus, & populus doceatur & instituatur ad religionem. Hic finis pacis maxime tuendus est & perquirendus à Magistratu. Maxime enim hæc duo disciplina & doctrina, fieri debent in societate humana, ac conseruari à rectoribus, quæ etiam præcipit Apostolus Ephe. sexto, vt parentes exhibeant filijs. Disciplina est, diligenter coercere cupiditates, certis exercitijs, laboribus, studijs, & pœnis: his enim exercitijs domantur ingenia, fiunt ad virtutes aptiora. Ideò Ethnici diligenter retinebant disciplinam: & scriptura dicit Prouerb. 13. Qui parat virgæ, odit filium suum. Sed doctrina quoque pietatis & religionis adhibenda est: nam doctrina sine disciplina parum proficit, sicut Lactantius inquit in scientia & religione: & Apostolus ait: Si habuerim mem prophetiam & omnem scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum, 1. Corinth. 13. Effigetur lex siue disciplina pædagogus ad Christum, Galat. tertio. Vult igitur Apostolus homines doceri disciplina assuefieri, vt perueniant ad agnitionem Christi.

3. Tertiò, quoniam sæpè homines pace abutuntur, quæ paritur & tuetur à pijs Rectoribus, in ocio oblitiscunt se voluptatibus: ideò Deus punit mundum frequentioribus bellis & dissipationibus regnorum. Sic comminatur Christus Hierosolimitanis Luca. 19. qui